D. B. D.

DISCURSUS MEDICUS DE ERYSIPELATE

QUEM

AUTHORITATE ET JUSSU

GRATIOSISSIMI SENATUS MEDICI

IN ANTIQVISSIMA TOTIUS GERMANIÆ ET ELECTORALI UNIVERSITATE HEIDELBERGENSI

SUB PRÆSIDIO

Viri Nobilißimi, Excellentißimi & Experientißimi

DN. FRIDERICI CHRISTIANI WINCLERI

MED. DOCT. SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS PALATINI ARCHIATRI, IN CELEBERRIMA HAC ACADEMIA PATHOL. P.P. ET FACULTATIS p.t. DECANI

Patroni ac ſtudiorum ſuorum Promotoris maximè colendi

PRO LICENTIA

Summos in Medicina honores & omnia Privilegia Doctoralia legitimè conſequendi,

Eruditorum examini exhibet

JOHANNES MOEGLING

Durlaco-Marchicus.

Ad diem 10. *Julii M DC LXXIX. H. L. Q. S.*

HEIDELBERGÆ,

Literis SAMUELIS AMMONII, *ACAD.* Typograph.

VIRO

MAGNIFICO, NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ATQ; PRUDENTISSIMO DOMINO

DN. FRANCISCO

REJSEJSEN/

ILLUSTRISSIMAE

S. R. I.

LIBERAE REIP.

ARGENTORATENSIS

MAXIMORUM MERITORUM

VIRO CONSULARI ATQ; TREDECIMVIRO &c. &c.

DN. MECENATI ATQ; EVERGETAE MEO DEVOTISSIME COLENDO

HANC MEAM

INAUGURALEM DISPUTATIONEM

IN SUBJECTI SEMPER ANIMI

ΤΕΚΜΗΡΙΟΝ

SACRAM ESSE VOLVI, QVIA DEBVI

SVBMISSVS HVMILISQ; CLIENS

JOH. MOEGLING

DISCVRSVS MEDICVS

De

ERYSIPELATE.

Præfamen.

DE externis corporis humani affectibus, tanquàm levioris momenti materia (*prout aliqui ferè, ſed falſo credunt*) An Medicus propriè ſic dictus debeat eſſe ſolicitus, haud parum à multis diſceptatur, cum horum tractationèm ſoli Chirurgi ſibi vendicare audeant: Sed cũ hoc verum ſit, quod bonus Medicus m. debeat eſſe bonus Chirurgus, puto hanc quæſtionem jam eſſe ſolutam. Pudeat enim Medicum ignorare ea, quæ Chirurgis de hujusmodi affectibus externis, & in ſpecie de noſtro impræſentiarum ipſis & barbitonſoribus nota ſunt. Hac de cauſa plurimos inter morbos externos ipſum ſolum Eryſipelas, eò quòd nil frequentius etiam promiſcuè cujusvis conditionis hominibus, nihilque præſertim noſtris *mulierculis Argentoratenſibus* magis moleſtum ſit, pro themate Inaugurali eligere mihi placuit. Tua ô Ter Sancte Deus! gratia ne me deſerat unquam, in actionibus quibuscunque meis pro ſalute proximi ſuſcipiendis, ardentiſſima anima voveo.

Caput I.

Definitionem Nominalem proponit.

COnſiſtit autem in ὀνοματολογίᾳ, quæ explicatione homonmiæ, Synonymiæ & ipſius nominis, abſolvitur.

I. Homonymia: Vox Eryſipelatis ſumitur 1. genecè & minus accuratè pro quacunque partium externaru inflammatione qualis eſt *Eryſipelas phlegmonodes, Oedematodes, Scirrhdes* &c. *confer. Joh. Gorraum in Definitionibus Medicis fol. m. 120.* item pro febri Eryſipelatode, quæ eſt continua & ſine intermiſſio affligens febris. II. Specifice pro tali affectu, uti poſtea deſcribetur in differentiis tradetur.

2. Synonymia: ſiſtit denominationes Eryſipelatis æquipollent Nominatur hic affectus *Græcè* φλόγωσις *Ardor* ἀπὸ τῦ φλογίζειν.

Latine Ignis, propter acriorem calorem, qualem etiam in ar buſtis ſentimus.

Ignis ſacer: *ex mente Fernel. l. 7. Pathol. c. 4. (quaſi magnu* Magnum enim quod erat, idem ſacrum Priſci dicebant Teſt. Plutarch *Confer. Buchner. in Fabro emendato fol. 128. Celſus vero videtur Herpete Sacri ignis nomine propoſuiſſe, ex Sennert. in Prax. l. 5. part. 1. cap. 17.*

Ignis ſylveſtris (*quaſi efferatus*) ob fervoris ferociam, quibusdan

Carbunculus: propter colorem ex rubro flavum in cuticula ol vium; *quamvis valdè impropriè.*

Germanicè. Das Rothlauffen / die Rothſchön / die Roſ (*hæc nomina à colore rubro partis affectæ ſunt impoſita*) das Geſegnete (*uti Su vi appellant*) die Schön (*uti apud Argentoratenſes fœmellas audi* quaſi minimè Schön; Vel quod fœmellæ præter ſolitum tunc rub cundæ apparent; facies enim roſea vel rubra multis placet, quamv delicatiores ament eſſe pallidiores, mögen nicht ſo roth ausſehen / w ein Bauren-Calender.

3. Nomen ipſum.

Ἐρυσίπελας eſt vox, quæ ſecundum authores Græciam redole ſecundum quosdam derivatur ἀπὸ τῦ ἐρύειν trahere, vel ἐρύεσθαι, trahi

πέλο

πέλας propinque; itaque per μεταμόρφωσιν ex græco in latinum vertendo *vicini traham*, vel *vicinitractam* scil. affectionem vel afflictionem dicunt.

Montano videtur ex ἐρυθρὸς (*pro quo Latini rubrum dicunt*) derivari mutato θ ρ in σ, ut fiat ἐρυσὸς, undè dicta ἐρυσίβη, rubigo, & ita ἐρυσιπέλας, quasi ἐρυσίβηπέλας, rubigini propinquum quid.

Placent verba Casp. Hoffmanni *lib. 2. Institut. cap. 41. thes. 5. p.m. 368. quando dicit:* ἐρυσίπελας obscurissimæ originationis est; Qui enim ut modo dictum, *Vicinitraham* seu *Vicinitractam* vertunt, audaciores sunt. Idem dico de τῷ ἐρυσίβη, quæ rubigo in frumentaceis est. Video esse compositionem, qualem in ἐρυσίσκεπτρον, ἐρυσίπτολης, ἐρυσίταλες, & similibus forte aliis, cujus ratio ex vetustis Lexicographis dari non possit.

Caput II.

Descriptionem realem tradit.

ERysipelas *est intemperies calida, interdum sine interdum cum magnitudine parùm aucta, exteriora partium corporis integumenta cum dolore præsertim pungitivo & pruriginoso affligens, à sanguinis parte calidiore & tenuiore bilioso, interdum malignitatis quendam characterem habente, in poros integumentorum effuso, inibique subsistente, ortum trahens.*

Descriptionem hanc quod attinet, licèt non planè conformis sit præceptis Logicis, hoc nobis satis sit, Erysipelas ad medicam verè delineasse artem.

Genus seu τὸ formale est intemperies calida ex sanguine bilioso, conjuncta cum parùm aucta magnitudine. Alii definiunt per tumorem, qui nostro judicio adeò non peccant; Interim tamen à potiori fieri debet denominatio. Ideoque Erysipelas per intemperiem potiùs describenda. Nec impedit quod Febris quoque per eandem definiatur, & ita Febris & Erysipelas unum idemque sint: Possemus hanc controversiam fusiùs & exactiùs tractare, nisi discursus noster citra propositum excresceret in nimiam molem; sed forsan in cathedra dabitur occasio nostram de hac instantia explicare mentem.

Caput III.

Partem affectam s. subjectum examinat.

PArs affecta sive subjectum est duplex; unum remotum & mediatum minusque principaliter & propriè affectum; suntque partes corporis, quibus adscribi Erysipelas consuevit. Proximum alterum & immediatum directè & per se affectum, in quo intemperies calida & parùm aucta magnitudo proximè deprehenditur, sunt partes corporis exteriores (*interioribus tamen non exclusis*) membranosæ sive involucra ambientia, nimirum Cutis & cuticula; sed non collectivè hìc partium nomen accipi, quasi omnes partes simul affligi dicamus, sed disjunctivè, ita, ut modò hanc, modò illam, jam faciem, jam mammas, &c. pati, concedamus.

Interim tamen non cum illis, qui habitum corporis pro subjecto affectûs nostri venditant, sentimus, aliâs Icterus, Leucophlegmatia & Erysipelas pari passu ambularent, habitus enim corporis significatione sua partes internas non complectitur, quas tamen æque ac externas Erysipelate, quod videre est in Phrenitide, Peripneumonia & Pleuritide, à Cerebri, pulmonum & pleuræ tum sanguinea tum biliosa fluxione, affici posse, experientia comprobat.

Caput IV.

Caussam immediatam s. Proximam exhibet.

CAussa immediata & Proxima s. conjuncta est sanguinis pars calidior, tenuior, atque biliosa, quæ jam influxura est ad corporis parte tam externas quam internas; Posita enim hâc in actu, ponitur intemperies, magnitudinis augmentum, adeoque tandem Erysipelas.

Per sanguinem intelligimus non totam illam massam sanguineam prout in venis & arteriis continetur, sed portionem aliquam fluidam

dam bile tenuissima mixtam, unde etiam illa pars sanguinis calidior & tenuior.

Quod autem quandoque Characterem malignitatis habeat, illud demonstrant Sympromatum quæ in internis potissimum Erysipelatum generibus, cum ab externis partibus ad interiora humor morbificus remeat, sese exerunt, vehementia.

Caput V.

Caussam mediatam proximiorem exponit.

CAussa mediata seu propinqua est ipsa sanguinis biliosi calentis & luxuriantis ab excretrice concitata fluxio in mammarum, colli, facici, &c. cutim, aliasque ad suscipiendam hanc fluxionem propensas partes tam internas quàm externas; hic enim sanguis propter tenuitatem facile penetrare potest, & non semper hoc præstat suâ abundantia & copia, sed etiam qualitatum vitio: si igitur oriri debet Erysipelas, externum, opus est, ut sanguis biliosus calidior, tenuior in poris integumentorum subsistat; subsistit verò ob affluxum repentinum & effluxum impeditum; impeditur effluxus ob partium vel naturalem vel morbosam imbibendo humori aptam constitutionem. Affluit sanguis repente, quia per Criticum naturæ conatum eò pellitur. Criticus naturæ conatus excitatur à febri, febris ab effervescentia sanguinis, hæc à sanguine heterogeneo, qui est idem ille calidus biliosus & tenuis admixtus.

Caput. VI.

Caussam antecedentem s. remotam internam repræsentat.

ESt autem caussa antecedens interna, viscerum præcipuè concoquentium intemperies calida, imò etiam sanguinis dispositio p. n., quando nimirum plus justo incalescit & effervescit instar aquæ ferventis:

quem

quemadmodum autem in aqua multæ ſunt particulæ calidæ humidæ, ſic tales etiam in ſanguine. Sanguis igitur iſtiusmodi particulis plenus, ſi impetu quodam ad ſummam cutim confertur, Eryſipelas oritur. Huc quoque pertinet temperamentnm bilioſo ſanguineum ob calorem præpollentem & urentem. Deinde diſpoſitio hæreditaria *Teſt. Sennert. lib. 2. d. febr. c. 16. p. m. 213.* Temperatura hepatis, cum hæreditario quaſi jure à parentibus in liberos tranſeat, non rarò etiam hoc malum ab illis in liberos propagari ſolet, & fit hoc vel per contagium ſeminale vel materni ſanguinis communicatione; deindè malum hæreditarium hac de cauſſa etiam dici poteſt, quando temperamentum Parentum (*nim. calid. & ſiccum*) in liberos transplantatur. Spectat huc quoque Sexus, Fœminæ enim præ viris huic malo ſunt obnoxiæ propter illarum conſtitutionem corporis molliorem & in iram proniorem. Referenda huc denique ætas, eaque vegeta & florida ob ubertatem ſanguinis in corpore maximam.

Caput VII.

Cauſſas remotas Externas enumerat.

ET quidem I. non naturales. Ubi ſeſe offert 1. *Aer* quatenus nimirum à naturali ſua conſtitutione vel ad caliditatem, ubi ſanguinem noſtrum inflammat quaſi, & conflagrabiliorem reddit, conflagrandoque ſpirituefcentiam ejus & tenuitatem auget; vel ad frigiditatem, poros corporis occludendo & tranſpirationem fuliginum acrium & fervidiorum impediendo, recedit. II. *Cibus & potus.* Multum etiam contribuunt in generatione hujus morbi, quatenus ſunt calida & ſicca, item omnia aromata & ex illis præparata potulenta, item acria, dulcia, ſale macerata, & fumo indurata; item calidiorum medicamentorum uſus largior, ſi crebrius aſſumantur. Item multitudo cibi & potus multum chylum, multus chylus multum ſanguinem ſanguis vero multus multam flammam, flammæ abundans eum fervidum adeoque Eryſipelati aptum efficit. III. *Motus & quies: Motus* huic malo anſam præbet, quatenus exceſſus fit vel curſu, vel equitatione vel ſaltatione, ubi pori rarefiunt & ſanguis irritatur, ut celerius per vaſa

decurrat

decurrat & ad cor copiosior confluat, indeque ejus effervescentia major oboriatur: cujus occasione portiones illius à centro ad circumferentiam vehuntur. Quies quoque nimia & vita sedentaria, prohibendo crudorum humorum exclusionem, obstructionum mater fieri poterunt. IV. Vigiliæ si modum excesserint ad hujus mali generationem faciunt, quia nimis exsiccant. V. Excreta & retenta: Inter illa evacuationes potissimum immodicæ serosi benigni humoris qui refrigerium & humectativum corporis meritò audit, sunt recensendæ; eo enim dempto facile massa sanguinea ad intemperiem calidam degenerat. Ad retenta referuntur omnes solennes evacuationes intermissæ sive per artem seu per naturam fiant. Hujus farinæ variæ sunt. 1. Retentæ diutius alvinæ fæces. 2. Hæmorrhagiæ narium assuetis interceptæ. 3. Hæmorrhoidum & mensium fluxus suppressus. 4. Lochia puerperarum retenta. 5. Omnium autem plurimam vim habent igneæ illæ fuligines, quas sanguis aliâs per poros dimittit, sicubi retineantur. Quæ Arte instuuntur evacuationes, si retineantur solent esse, Purgationes, V. S. scarificationes &c. Etiam in Vulgus notum est, inprimis autem Mulierculis nostris Argentoratensibus, quantum momenti in illis situm sit, quandò sæpè confitentur, Sie haben sonsten allezeit im Brauch gehabt im Frühling und Herbst zu purgiren und darauff Ader zu lassen / Item sie haben die Zeit in das Bad zu gehen / übergangen / und wann sie diese Sachen unterlassen / haben sie alsobald die Schön am Hals. VI. *Animi pathemata & perturbationes* vim suam in Erysipelate exerere possunt. Si quid enim est, quod effervescentiam sanguinis mirum in modum, spiritus provocando auget, hoc profectò est *Ira*, ita ut apud Hieronymum Fracastorium etiam per sanguinis ebullitionem definita legatur. Quamobrem quotidianâ ferè experientiâ, Iram prægressam Erysipelas subsequi comprobatum habemus. Idem possunt efficere gaudium inopinatum, risus effusus &c.

II. Præter naturales. 1. in genere intemperies intensè calida & biliosa. 2. Plethora, abundantia nimirum sanguinis. 3 Cacochymia non quidem vera, sed spuria & ad Plethoram inclinans, calida nimirum & biliosa.

Caput VIII.

Differentias recenſet.

Eryſipelas eſt vel Exquiſitum, vel minus Exquiſitum.

Exquiſitum eſt vel ſimplex, vel Exulceratum.

Exquiſitum Simplex jam ſupra definitum eſt, idcirco crambem bis coctam apponere nolo.

Exulceratum internum duplex: Primum in quo ſumma Cutis tantum exulceratur: Alterum, cujus exulceratio altius in cutem penetrat, ut ruptis puſtulis ſanies effluat.

Minus exquiſitum Eryſipelas eſt vel Phlegmonodes; vel Oedematodes. Hoc cauſſam habet Pituitam magis per congeſtionem, quàm affluxum & quidem ſine dolore collectam. Illud verò oritur ex ſanguine magis quidem tumente, ſed minus fervido. *Vid. Corbejum in Enumeratione Morborum lib. 2. ſect. 5. de Affectibus Extern. cap. 8. p. m. 402. & ſeqq.*

Quæritur jam I.

Quomodo differant Eryſipelas & Phlegmone. Reſpondetur: Differre non tantum cauſſis materialibus & efficientibus, ſed & propriis adjunctis, nempe calore, doloris ſpecie & parte imprimis affecta. Oritur enim noſtrum Eryſipelas, ſecus ac Phlegmone ex ſanguine millioſo leviſſimo ſumme tenui & calido, illiusque tumor, (qui ad ſenſum rarò adeſt, & ſi adeſt conjunguntur alii humores, *teſt. Caſp. Hoffmann. in Patholog. parv. p. m. 278. theſ. 5.*) magis rubet, intenſius calet, dolorem longè acutiorem, ac Phlegmone, inducit; neque dolor eſt pulſatorius ſive gravativus & tenſivus, (*qualis in phlegmone à copia ſanguinis arterias comprimente ipſasque membranas diſtendente*) ſed pungitivus & pruriginoſus ſimul. Porrò in Eryſipelate omnia ſymptomata (*vigiliæ, ſitis, oris ſiccitas*) multò intenſiora, quàm in Phlegmone ſunt. Tandem Pars affecta Eryſipelatis, *uti videre eſt ſupra in cap. 3.* eſt rara & tenella cutis in qua tumor ſuperficiarius & plerumque inſenſilis teneram illam cutim tam in facie externa, quàm collo, mammis, brachiis, tibiis, aliisque in locis attingit; ſurſum namque humor ille ſanguineo billioſus levitate ſua, tenuitate [&] caliditate aſſiduò fertur; Phlegmone autem muſculos

ſculos potiſſimum & omne carnis genus affligit. Denique Eryſipelas ſerpendo ad vicina progreditur & creſcit: Phlegmone verò in uno loco fixa manet & nunquam ab eo dimovetur.

Quæritur II.

Quomodo differat Herpes ab Eryſipelate. Reſpondetur hoc modo: cum bilis in ſuperficiem partium tenuiſſimarum, ut facilè reſolvatur, effunditur, fit Eryſipelas: Herpes verò eſt tumor à bile flava partium craſſarum & ſalinarum originem ducens, in cute hærens illamque exedens & ſerpentibus puſtulis defœdans.

Caput IX.

In Signa Diagnoſtica inquirit.

IN diagnoſi conſiderandum venit vel Eryſipelas Futurum vel Præſens.

In *Eryſipelatis futuri* dignotionem pervenire poſſumus, ſi conſideramus, illi aſſuetos ac jam illud aliquoties perpeſſos & ex antecedaneâ febre, cujus itidem acceſſum ex nauſea, vomitu, horrore &c. inaugurari adeò difficile non eſt, imprimis Medico, qui ad recenſita ſuperius cauſarum genera temperiem, ætatem propenſam, commoda anni tempora &c. attenderit.

Quænam autem pars ſit paſſura, an Caput, an Collum, an Crus &c. ex gravitate partium inſolita, infirmitate & debilitate prævia, calore inſueto, aliisque conditionibus, judicatu non eſt difficile.

Præſens autem Eryſipelas tum ex eſſentiali inſigni calore tum eſſentialibus ſymptomatibus dolore & colore roſeo (ſi extraneum fuerit & cutaneum) ab attento Medico agnoſcitur. Signa ſunt, *ait Celeberr. Jonſtonus Id. Med. Pract. l. 6. c. 2. art. 1. Invaſio cum horrore, quem febris ſubſequitur, vehemens mordicatio & uſtio, ita ut veſiculæ interdum excitentur. Color ex rubro flaveſcens, non ruber ad fuſcum vergens; quibus preſſum ſubterfugit, moxque redit. Dolor nec pulſans nec vehemens, & quidem ſine tenſione ad vicina progreſſus.*

Invadit autem plerumque homines ita, ut qui malum hoc antea

antea non ſunt paſſi, ejusque crebrioribus paroxyſmis non ſunt aſſueti, exiſtiment, Peſte ſe corripi, donec tandem in Crure aut alio loco ſeſe affectus prodat. *Confer Sennert. lib. 2. d. Febr. c. XV.* Interius vero Eryſipelas explorare, hic labor, hic opus: Tamen ſi quis ſymptomata morbi rectè expenderit & partis cujusque actionem læſam, temperamentum & conſuetudinem ægroti obſervaverit, non parvam cognitioni accendet facem.

Caput X.

Signa docet Prognoſtica.

QUoad *Prognoſin*: Si intemperies in ſubjecto ignobiliori & externo, nullis alioqui infirmitatibus obnoxio, ob ſanguinis non nimium fervorem & tenuitatem adhuc moderata eſt, ſi ſymptomata conſequentia mediocritatem ſervant, ſi cauſſæ præcedentes non adeò pertinaces, ſed facilè expugnabiles ſunt, tunc Eryſipelas affectus periculoſus non eſt. Notandum autem hunc affectum multoties fieri periodicum & per intervalla ac paroxyſmos invadere & ægrum certo tempore repetere, ac ad tumulum usque exercere; ne igitur hic perfectam (*propter malum inveteratum*) polliceamur curam, Medico prudenti cavendum erit.

Periculum autem imminere, indicant; ſi ardor partium ingens, pars patiens nobilis, quæ vel Externa, e. g. Caput, facies, Collum, Mammæ, &c. vel Interna, utpote Cerebrum, Pulmo, Ventriculus, uterus (*de quo videatur Hipp. aphor. 43. l. 5.* ἤν γυναικὶ κυούσῃ ἐρυσίπελας ἐν τῇ ὑστέρῃ γένηται θανατῶδες: *Si Mulieri prægnanti fiat in utero Eryſipelas, lethale eſt*) Si ſanguis admodum fervidus, tenuis & aliquandò malignus, ſi ab exterioribus ad interiora remeet, periculo utique non vacat *teſt. Hipp. aph. 25. ſ. 6.* ἐρυσίπελας ἔξωθεν μὲν ἔσω τρέπεσθαι, οὐκ ἀγαθὸν, ἔσωθεν δ' ἔξω ἀγαθὸν: *Eryſipelas foris intrà converti malum; intùs verò foràs bonum.* Si ſymptomata ſeſe prodiderint multa & gravia actiones ſive vitales ſ. animales lædentia; ſi putredo (*confer Hipp. aph. 20. ſ. 7.* ἐπὶ ἐρυσιπέλατι σηπεδὼν, ἢ ἐκπύησις, κακὸν: *ab Eryſipelate putredo aut ſuppuratio, malum*) gangræna, ſphacelus vel ex imperitia medentium vel inobedientia ægrotantium; ſi luxationes vel vulnera

vulnera cum osse denudato (*huc refer Hipp. aph. 19. s. 7.* ἐπὶ ὀςέυ ψιλώσει ἐρυσίπελας: *ab ossis nudatione Erysipelas*) supervenerit, ne mortis periculo res caret.

An vero morbus hic ad Salutem vel majus malum terminetur, am dicendum erit: Ad salutem vergit, si materia morbifica vel nsensibiliter per diaphoresin; vel sensibiliter per hæmorrhagiam, hæmorrhoides, Menses &c. evacuetur. Ad deterius inclinat, si maignus humor in corpore retineatur, aut expulsus semel retrahatur, & visceri alicui nobili obtrudatur.

Caput XI.

Curationem suppeditat.

HActenus *de natura Erysipelatis, genere, subjecto, caussis, differentiis, signis diagnosticis & prognosticis actum est*, unicum ergo ad huc restat, nimirum ut nos ad curam accingamus, quæ absolvitur tribus uis indicationibus usitatis, *Curatoriâ*, in morbo & paroxysmo præente: *Præservatoriâ* in caussis, nimirum peccantis materiæ evacuaione; & tandem *Vitali*, quæ viribus consulit & virtutem vitalem ptis medicamentis conservat.

Indicationi Curatoriæ ut satis fiat, quatuor probè sunt attenlenda. 1. Pars affecta, 2. Morbus ipse. 3. Caussæ morbi, & 4. symptomata. Ex quibus tria posteriora sui remotionem; pars affecta vero sui conservationem postulat.

Calida igitur intemperies refrigerantibus & aliquo modo humectantibus alteranda est; sanguis vero tenuis fervidus & nonnunquam malignus tanquam caussa nostri morbi eliminandus per præidia universalia imminentia, maxima autem diaphoretica. Symptonata & si quidem perindè ut morbus ad remotionem sanguinis biiosi ceu caussæ recedant, urgentia tamen & vires frangentia anodyiorum usum efflagitant, vel in specie ipsorum curationi dicata renedia. Pro conservatione autem partis affectæ tum internis tum xternis corroborantibus uti convenit. Quibus omnibus decenter fficiundis, opus est, ut Medicamenta apta ex triplici fonte nimiam Pharmaceutico, Chirurgico & Diætetico hauriantur.

Caput. XII.

Fontem pharmaceuticum aperit.

EX Pharmacia propoſuimus Indicationibus ſatisfacere. Nolumus igit ex illa purgantia κατ' ἐξοχὴν, ſic dicta, quia maſſam ſanguineam tai quam cauſam affectus noſtri inſigniter fermentando & inflammand magis juvant quàm debellant. Lenientia autem ſive Laxantia quæ ab que inſigni ſanguinis agitatione leviter alvum movent, humoresque mo biles placidè educunt & ſanguinis fervorem imminuunt adeoque po ſe quaſi refrigerationem relinquunt & tonum viſcerum conſervant, nc rejicimus, ſed potius approbamus: Qualia ſunt: *Syrupus de cihor. c. Rh barb. Roſar. ſol. viol. ſol. fl. perſic. Pulp. tamarindorum*, *Elect. Lenitiv. Cr mor Tartari*, *&c.* in mediocri doſi ſive per ſe ſive in alias forma prout quis voluerit redacta, data. Sit ergo Formula alicujus Lenientis ſ quens:

℞. Flor. Caſſ. recent. extr. ℥j.
Syr. d. pom. lax. ʒvj.
▽ accetos.
Card. B. aa ℥j.
Miſc. F. Pot. d. ad Vitr. ſ. Laxir-träncklein morgends frühe nüchtern auff ein mahl einzunehmen.

Facta evacuatione, ſeq. poteſt dari Julepus.

℞. Syr. Roſar.
Syr. d. ſucc. Endiv.
acetos.
rub. id. aa. ʒvj.
▽ plantag.
tonitrual.
fl. papav. rhæad.
nymph. aa. ℥j.
Mſ. d. ad vitr. ſ. Kühlender ſtär julep nach belieben zugebra chen.

At *Diaphoretica* nobis faciunt utramque paginam: hæc ſunt, q ambabus, quod ajunt, manibus ex pharmacia acceptamus. Inſigne enim habent uſum, quia univerſam corporis noſtri ſubſtantiam p netrant, malignitatem ſanguinis morbifici vi ſua alexipharmaca exp gnant & naturam in motu critico juvant: Qualia ſunt:

℞. Antimon. diaph. ℈j.
Margarit. præp.
Sal. fumar. aa. ℈ß.
Miſc. ad Chart. ſ. Schweiß und Stärckpülverlein auf einmahl.

℞. ▽ galeg.
ſcord.
ſcorzoner.
fl. ſambuc. aa. ℥iß.
Syr. acetoſell. ℥j.

M. F. J-

F. Julep. d. ad. Vitr. s. Julep zum Schweißpülverlein/ dasselbig darinnen einzunehmen und ferner darvon zutrincken.

Pro sudorifero Theriac. Andr. in ▽ fl. sambuc. commendat Jonstonus.

Corticem medianum sambuci cum inferiore albicante in lacte caillo coctum & bibitum egregiè sudorem prolexisse cum levamine mor-, cui fermè delirium jungebatur, aliquoties in Virgine nobili obseratum est.

Clysteres quoque in Erysipelate locum habent & quidem partim atim ab initio partim per totum morbi hujus tempus: Formula pot esse sequens.

fol. Malv.
Lactuc.
viol.
Mercurial.
cichor. aa. Mj.
Sem. Cucurbit.
Melon.
Portulac. aa. ʒij.
Fl. nymph. Mj.
hord. ℥j. Coq. omnia in s. q. ▽. font.
Colat. lbj. admisc.
Medull. cass. fist. ℥j.
Ol. Viol. ℥ij.
Nymph. ℥j.
Sal. gem. ℈ij.
F. l. a Clyster.

d hæc nobis sufficiant quoad Medicamenta *Interna*, post quæ seuuntur *Externa*, dicta Topica, non autem repellentia vel stupefaentia, sed diaphoretica externa sive Extrahentia. Licet autem Praicorum libri de istiusmodi medicamentorum formulis quasi turant, placuit nihilominus etiam aliqua in medium proferre: e. g. Pulones vitulini, vitali ad huc calore imbuti, & pulvere nitri consperin interno capitis Erysipelate Phrenitide copulato, à plurimis Mecinæ Practicis ceu insignis ad extrahendum fervorem efficaciæ, launtur. Alii Corticem sambuci mediam colore viridem abrasum parti rcumcirca applicandum, & de die ter immutandum præcipiunt. Rob rò sambuci cum Nitro & vitellis ovorum in Emplastri formam redaum propriâ experientiâ laudo & commendo. Inter præcipua quoq; ommendatur lapis Medicamentosus *Crollii*, Sanguis menstruus in ▽ secionis & aceto rosat dissolutus. Balsamus Lythargirii & camphoin ▽ spermatis ranarum. Saccus lineus in quo farina siliginis fuit calefactus. Linimentum SEBIZII *d. acidul. in fine*, *ait Jonstonus l. eg.* Porrò Lixivium ê Cineribus fagi cum camphora & ovi albumine *Sennerto loc. citat.* magni æstimatur. Nec contemnenda sunt cataplaplasmata

plasmata ex farina fabarum, hordei, fœnugr. sem. lin. quæ in saccu
applicari possunt cum pulvere sabinæ & foliis lauri. Oleaginosa qu
attinet & pinguia, quia bilem nutrire & partes aliquo modo inflamm
re dicuntur, temerè non sun applicanda.

Caput XIII.

Chirurgiam perpendit.

HInc ad Chirurgiam venimus, visuri, quid auxilii ferat in nost Erysipelate. Primò omnium nobis occurrit V. S. quæ si aff ctus sit in externis temerè celebranda non est, ne revulsorio h præsidio criticè expulsam materiam morbificam denuò revocemu & naturæ obtrudamus. Nec facilè in internis nisi plethora coëg rit, quâ præsente demum, ubi ætatis, sexûs, vitium, nec non ali rum caussarum constitutio permiserit, modicam aliquam V. S. brachio aut crure absque venarum delectu administrare audebimu idque ideò quoque, quia in Pleuritide, Phrenitide, &c. quas intern rum Erysipelatum effectus facimus, usum ejus aliquoties experie tia comprobavit.

V. S subjungitur scarificatio, quasi ejusdem vicaria. Su dentibus fit communiter in parte parti afflictæ opposita,

Caput XIV.

Diætam subnectit & Discursui nostro finem imponit.

IN diæta commendamus I. Aerem vel natura purum & temperatu ac quasi vernum, inclinantem quodammodo ad constitutionem c lidam (*nam frigus obstipat*) l. arte præparatum, quod multis modis fie potest, e. g. in æstate calidus in umbrosis locis l. frigida persper II. Cibum & Potum: Cibum laudamus εὔχυμον καὶ εὔπεπτον sed n nimis tamen, præsertim plethorica constitutione donatis: Ac inpi mis erit conducibile, si medicamenta reddantur edulia conditu congruis, *e. g. acetosa, acetosella, Endivia, lactuca, Rad. cichor. ta*

x

xaci, fructus ribium, Berberum &c. Abstinere autem jubemus à calidis & siccis &c. *quas supra Cap. 7.* in caussarum N. N. recensione damnavimus. Pro potu probamus succum non admodum nutritivum, quique refrigerandi virtute polleat: qualis est *aqua hordeata cum passulis & C. C. parata: item Cerevisia* in qua nec lupuli amaror nec frumenti vires excedant, clara & defecata. Vinum vix admittimus, nisi ὀλιγοφόρον. *Sennertus* absynthites quoque concedit. *In omni autem potu aurum ignitum extinguere commodum nonnullis videtur.* Omnium felicissimè *Acidulas & Lac ebutyratum* fervorem sanguinis restinguere arbitramur. 3. & 4. Motum ut & Vigilias, nimia esse nolumus, ne nimia sanguinis agitatio fiat; 5. Excernenda retenta, & retinenda excreta, vel alvo sollicitata, vel hæmorrhoidibus excitatis, vel reparato mensium fluxu, vel aliis Naturæ aut artis præsidiis juvare fas est. 6. Inter animi pathemata *Iram* potissimum arcemus.


Prophylaxin Erysipelatis non possum quin etiam tangam, *ubi obiter succurrit historia vel potius superstitio mulierculaarum quarundam Argentoratensium, quæ nimium sibi sapere videntur, quando ipso S. S. Trinitatis festo sanctissimo copiosè confluunt ad ædes Divi Marci, ibique religione quasi quâdam ductæ devotè hauriunt aliquot cyathos* ▽ *destillatæ* **Jaceæ tricoloris**, Dreyfaltigkeit Wasser / *quâ potâ se ita armatas credunt, ut plenè sibi persuadeant, toto illo anno aut planè nunquam, aut saltim levissimè Erysipelate tentari.* Quamvis quidem credamus, hanc plantam egregiè facere ad sanguinis depurationem, adeò ut alii non vereantur statuere, luem Veneream eo posse curari, si novem diebus singulo mane & vesperi ejus ℥iij. bibantur: tamen hoc superstitione carere mihi non videtur, quod eo ipso sanctissimo festo debeat fieri.

Quod ad reliquam prophylaxin, credo egregiè prodesse purgationes quæ bilem intercipiant & evacuent; Item in Plethoricis V. S. bis in anno administrata, *juxt. Jonston.* Scarificationes seu sanguisugæ & hæmorrhoides, si eis assueverint homines. Nec inutile arbitramur balneum aquæ dulcis, maximè verò credimus προφυλάξεως ἕνεκα utilissimè bibi posse acidulas, puta *Sualbacenses, S. Anthoniisteinenses* vulgò Tönnigsteiner / *Rippelsavienses, Petersthalenses,* easque præcipuè ad ipsum fontem, præmissis præmittendis; Imprimis verò Tibialium ▽ spermatis ranarum imbutarum portatio-

nem

nem hic quoque laudat *Jonston.* ſed manum de tabula : Hisce contentus ſis L. B. lubentiſſime quidem confiteor , me multa illorum, quæ neceſſaria ſunt, omiſiſſe, ſed imputa quæſo hoc temporì, quod mihi heic loci conceptum , brevi, & ſic me excuſatum habebis. Vale

Deo ſit Laus & Gloria.



NOBILISS. ATQUE CLmo.

JOHANNI MOEGLINGIO

MEO

MEDICINAE CANDIDATO

REVERA SATIS CONDIGNO

S. P. D.

TAndem ὀλυμπιονίκης evadis , & pulverem, quem curriculo collegiſti fervidisque rotis in ſtadio Medico , oleaſtro gloriæ permutas. Cordi recte inſcribſeras illud Hebræorum :

i. e. *Supra omnem poſſeſſionē acquire Sapientiā. Supra omnem dignitatem elige humilitatē.*

על כל קנין תקנה חכמה:
על-כל-מעלה תבחר שפלות

N:

Namque

Ἢν ἀγαθὸν φρονέῃς, ἀγαθῶν καὶ τεύχεα ἔργων. a

Quare b περὶ τὴν γνώμην ἡ πᾶσα ἔσω ἐπιστροφή. c *Animus enim, & ratio in animo perfecta nec eripi potest nec dari.* d *Illeque facit nobilem; eique ex quacunq; conditione supra fortunam licet surgere.*

Sunt equidem, quos valde lynceos esse juvat, si Dîs placet. Verum aliena vitia in oculis habent, à tergo sua, ut cum *e* SENECA loquar. Nimirum ut idem Saluberrimus vitæ sanctioris & morum meliorum architectus pergit, nihil alienæ luxuriæ ignoscit, qui nihil suæ negavit: & homicidæ tyrannus irascitur, & punit furta sacrilegus. f Θαυμάζειν γὰρ εἰκὸς τὰ ἑαυτοῦ ἕκαστον, ἀτιμάζειν δὲ τὰ παρὰ τοῖς ἄλλοις Verum hi discant prius sua cædere vineta. Tu interim DILECTISSIME, adipiscere novam hanc nobilitatem, quæ Tibi salso sudore parata est. Certe *si quid aliud est in Philosophia boni, hoc est, quod stemma non inspicit. Bona mens omnibus patet, ad hoc omnes sumus nobiles. Nec rejicit quemquam Philosophia,* addo & Medicina; g δεῖ γὰρ μετάγειν τὴν σοφίην ἐς τὴν ἰητρικὴν ἐς τὴν σοφίην· ἰητρὸς γὰρ φιλόσοφος, ἰσόθεος: Et ideo recte quoque Galenus librum scribsit: *h* ὅτι ὁ ἄριστος ἰητρὸς, καὶ φιλόσοφος) *nec eligit: omnibus lucet. Patricius Socrates non fuit: Cleantes aquam traxit, & rigando hortulo locavit manus. Platonem*

a h. e. Si bonos colueris, bonos etiam consequeris successus

b Omnis cura ad animum est transferenda. EPICT. in enchir. c. 63.

c Seneca Epist. 41.

d Seneca Epist. 44.

e l. 2. de Ira c. 28.

f Iulianus Apostata in suo Antiochiensis i. e. Ea fere hominū natura, ut omnes sua mirentur, aliena despiciant.

g Hippocr. l. π. εὐσχημοσύνης h. e. oportet permutare sapientiā in medicinam, & medicinā in sapientiam: Medicus enim qui Philosophus est, est Deo æquali.

h *Quod optimus medicus etiam Philosophus.*

nem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit. Quid est, quare desperes his te posse fieri parem? Omnes hi Majores tui sunt, si te illis geris dignũ; ita Te alloquor cum SENECA meo. Tu vigili studio, improbo labore jam à multis annis huic sanctæ Arti Te mancipasti plane; & non veluti canis è Nilo bibens. Testis ejus sum jam ab XI. annis, ubi me cum multis aliis Argentorati docentem sedulus audivisti. Testis est Celeberrima Basilea, quæ Te magis magisq; excoluit. Testis est jam nostra Alma Electoralis, quæ DEO volente, post pauculos annos *quartum suum seculum* auspicabitur. En Tibi pollicem premit ὑγεία. Illa Tibi promeritam imponet coronam, & copiam faciet amplissimam optime tum de sanis, tum de ægrotis merendi in *Illustri ARGENTORATO* olim & mihi benefica Matre, quam DEUS rosam innocentem inter spinas acutissimas hactenus conservavit.

Epist. aurea 44.

LILIUM *erat purum, tentabant* LILIA TRINA:
Sed qui TRINUS *erat, noluit id fieri!*

Floreat *Celeberrima Resp. ARGENTORATENSIS*, eiq; commoda mille feras ope & consiliis Medicis. Vale P. P. e Museo meo Heidelbergæ VIII. Eid. Quinctil. cIɔ Iɔc LXXIX.

GEORGIUS FRANCUS, Med. & Phil. D. P. P.